

as, tam diu etiam ad veram Alchimiam peruenire minime poteris.

Non præterea, frater mi, ignoro, me scripto meo te neutiquam exhilaraturum, sed multo potius cor tuum contristaturum esse, eo quod falsum sophisticum regimen tantopere pedibus conculcem, quo in tam altas radices egisti, ut te magnum ingensque negotium scire autumes, cum tamen nihil scias: magna siquidem est stultitia, quæ non ad metallicarum naturarum correctionem, sed dumtaxat tonforibus, balneatoribus, & ipsis quoque Medicis inseruit. Iphis itaque istiusmodi lusum relinquo, qui quandoque aliquam ex eo utilitatem percipiunt: quemadmodum etiam Adamus à Bodenstein insignis istorum sophismatum magister fuit, qui, sub prætextu Theosophiæ, omnis generis raros libros conscripsit, & de Alchimia summopere gloriatus est, quasi rem exacte nouisset, cum tamen à scopo longe aberrauerit. Insignem illum sophistam fuisse fateor: in omnibus siquidem suis actionibus de meris sophisticis regiminibus agit, quorum beneficio, & vulgaris ignis efficacia, præparaciones quasdam adinuenit, quæ ad rem suam, Medicinam puta, ipsi inseruierunt. Id quod tamen ad Alchimiam minime pertinet, sed illi omnino aduersatur: hodierno namque adhuc die multi homines Bodensteinio veræ Alchimie cognitionem adtribuunt, & ipsum multa arcana sciuisse, credunt: Sed, uti diximus, à scopo multum aberrauit, rerum imperitis & indoctis glaucoma objecit, quasi magna sub re ista latitarint, quæ tamen res apud rerum peritos certo fundamento caret: Sed, veluti vulgare sonat prouerbum, coram cæcis bene gladiandum est. Itaque

Adamus à Bodenstein
 de re, & quo
 Bodenstein in Biblio
 theca Chijm p. 46.

que